B.

C. *BALANUS* Myrepſica. Glans unguentaria. Myrobalanum *Plinio* & *Aëtio*, nihil habens commune cum Myrobalano Arabum. Oleum Balaninum. *Ben nut* & *Oil of Ben.*

Nucleus, amygdalarum amararum more, tuſus preſſusque oleum reddit, quo ad pretioſa unguenta pro Oleo utuntur: reliquiæ terreſtres & duræ intenſam habent qualitatem amaram cum quadam adſtrictione, cortex enim admodum adſtringit, proinde exterſoriam & inciſoriam vim habet cum aliqua adſtrictione. Hoc magma ſmegmatis immiſcetur, quæ ad ſcabrities & prurigines accommodantur.

Si quis carnem ejus drachmæ pondere cum melicrato bibat, medicamen experietur vomitorium, ſæpe etiam per inferiorem alvum largiter ſubducens. Itaque cum hoc medicamento utimur ad viſcerum expurgationem, & maxime jecinoris lienisque ex oxycrato ipſum exhibere conſuevimus, aceto enim gaudet tum forinſecus impoſitum, tum per os acceptum.

Facit quoque ad hepar induratum in cataplasmate impoſita, & lienem conſumit, præſertim, ſi farina aliqua exſiccatoria ipſi commiſceatur, velut eſt loliacea ac ervina.

Cum aceto cocta pſoram & lepram exterit: cum nitro vitiligines & cicatrices nigras emendat, & cum lotio lentigines & varos, maculas, a ſolis ardore contractas, & papulas in facie tollit.

Eædem vires Oleo Balanino tribuuntur a *Dioſcoride*, & quod contra aurium dolorem, ſonos & tinnitus auxilio ſit cum anſerino adipe inſtillatum. Confer *Ricinum*.

NOTÆ. Fructus integer cum putamine vomitum parit, toſtus purgat per inferiora. Nuclei contuſi & cum Alla poti purgant pituitam.

Nucleus ſubdulcis, præpinguis, & acu vulneratus, mox humorem reddit oleagineum, Oleumque, inde expreſſum, vetuſtate non ranceſcit, ſed ſervavatum fuit incorruptum per 14 annos, horologiis & aliis machinis illiniendum.

Oleum hoc inodorum eſt, valde emolliente ac reſolvente vi pollet, propterea que ad duros furunculos nervorumque dolores utile, pſoram& lentigines ſanat: alvum ciet: plerumqne tamen rebus, fragrante odore imbutis, v. g. floribus jasmini, moſcho, &c. ſervandis additur, quoniam diu durat, nec vetuſtate rancorem contrahit.

C. *BA-*

C. *BALAUSTIA* flore pleno majore C. B. *Rand. Catalog. The flowers of the Wild Pomegranate.*

Dioſcoridi & *Galeno* Cytinus eſt flos Mali Punici domeſtici, Balauſtium ſylveſtris; *Plinius* vero Balauſtium mali Punici ſimpliciter nominat.

Balauſtium vehementer adſtringit, & fluxiones ſiſtit. Decoctum ad gingivas, humore flaccidas, dentesque mobiles, colluitur, & ramices ex inteſtini prolapſu, cataplasmatis inditum, agglutinat. Si intertriginibus & aliis ulceribus ipſum illinias, celerrime illa videbis cicatricem contrahere; hoc nomine hæmoptoicis & dyſentericis datur in poſca, & in dyſenteriis infunditur, tum ad ventris uterique profluvia utimur. Aſperitatem palpebrarum lenit.

Tum refrigerando tum firmando ventriculo idoneum, ulceribus internis opitulatur, nec ullam viſceribus noxam infert.

NOTÆ. Præter ſaporem auſterum, adeſt & amaror. Decoctum Vitriolum viride in atramentum præcipitat.

Tincturam præbet tum Spiritui Vini rectificato, tum Aquæ, ſed prior fortior eſt.

Si decoctum velimus reddere intenſe rubrum, inſtillandæ ſunt guttæ aliquot Spiritûs Vitrioli.

Coria deponuntur ab his æque ac a cortice Quercûs.

Ad firmandos dentes pulvis, cum melle ac pauco ſale, in formam linimenti redactus, gingivis illinitur; & gargarismos adſtringentes & repellentes ingreditur.

Uſu interno in Gonorrhœa benigna valet.

N. *BALSAMUM COPAIVA.*

Odor mihi videtur eſſe inſtar Olei Amygdalarum dulcium, etſi alias deſcribatur gratus, terebinthinaceus, aromaticus: de ſapore convenit gratum eſſe, acrem & amarum.

Prompte menſtruis ſpirituoſis obſecundat, modo ſint omni phlegmate orbata & ſpiculis ſalis lixivioſi probe armata, æqualibus partibus Spiritus & Balſami ſumptis. Eſſentiali oleo æthereo adeo abundat, ut ex libra una Unciæ quinque vel ſex humida deſtillatione elici queant. Hoc, cum dupla portione axungiæ humanæ mixtum, linimentum dat, quod partibus, paralyſi tactis, & tono, ſenſu, motuque deſtitutis, eximium attulit robur, nec minus partibus, ex dolore podagrico imbecillioribus redditis, egregiam & commodam operam adfert. Dolores Rheumatismi ſedat.

Adeo ſubtile eſt & ſpirtuoſum, quemadmodum Balſamum Gileadenſe, ut

non acquirat consistentiam resinosam coquendo in aquâ, ut Terebinthinæ vulgares.

Externe calefactum & cum filamentis impositum vulneri, sanguinem sistit, antecellens Balsamum Peruvianum in usu vulnerario, & vulnera, nisi nimis sint gravia, intra 24 horas prompte glutinat vix cum tantillo cicatricis vestigio: id quod frequenti experientia confirmant Belgæ, qui in vulneribus recentibus, nervis etiam vulneratis, usitatissime adhibent, dum in iisdem conglutinandis mira faciat: & ejus vires salutares in circumcisione experiuntur Judæi, sanguinem ex vulnere, antea non paucis exitiali, profluentem coërcentes.

Interne magis purgat, quam Balsamum Judaicum, cum a guttis 40 vel 50 sequebantur plures dejectiones.

In ovo sorbili sumptum dysenteriam & alios alvi fluxus sistit, ut & Leucorrhœam a ℈j ad ʒss. Antisepticum, diureticum. In omnibus Urinæ vitiis utile: sic ab usu ejus disparuit sedimentum viscosum album, quod urinæ cujusdam senis adesse soluit. Denique in Gonorrhœa virulenta & simplici valet, & in priore, præmissa catharsi, ad finiendam curationem, omnibus terebinthinaceis præferendum, odore violaceo in urina se non prodens; porro plerumque aliquantulum purgat; adeoque deterget ac sanat: Commendatur tandem ad colicos dolores frigidos, in paralysi & arthritide.

C. *BALSAMUM JUDAICUM.* Opobalsamum vel Succus Balsami. *Balm of Gilead.*

Balsamum è Mecha, vel potius Arabicum dicendum, ex Arabia enim in Palestinam translatum, longo tempore ante Salomonis imperium.

Est validi odoris, linguam modice mordens, adstringens: inter aromata numeratur a *Galeno*, ferturque tenuium esse partium & discussoriæ substantiæ, non tamen manifeste calentis, desiccare & excalfacere tantummodo secundo excessu. *Dioscorides* autem ei intensam tribuit vim calefacientem.

Lacti instillatum id coagulat. Solvit algores in accessionibus febrium cum tremore. Vulvæ perfrictionibus medetur cum cerato rosaceo appositum. Illitum fronti in dolore capitis ex frigida intemperie prodest, maxime si crassiores & viscosæ fuerint superfluitates.

Menses, secundas & fœtus extrahit, Urinas ciet, sudores movet. Quæ pupillis tenebras offundunt exterget, sordida ulcera expurgat, cruda concoquit.

Concoctionem juvat, ægre spirantibus convenit, ut & iis, qui aconitum hauserunt, si cum lacte exhibeatur, itemque a vipera demorsis.

NOTÆ. Balsama in genere sunt Olea essentialia acido unita & inde coagulata.

Bal-

Balſamum Judaicum Odoris eſt aromatici, fragantis, ſuavis, inſtar odoris corticis citri, vel lavendulæ & ſeminum aniſi, ſeu quaſi terebinthinam cum alio ſuaviore odore redolens. Recens dicitur odoris eſſe adeo acuti, ut nonnullis ſanguinem è naribus proliciat, ſaporis amari, acris, leniter adſtringentis. Lac tepefactum coagulat.

Non acquirit conſiſtentiam reſinoſam coquendo, ut Terebinthina vulgaris, utpote ſubtilius & magis ſpirituoſum.

Diſtinguitur ab aliis Balſamis celeri diffuſione per aquam & poſtea pelliculæ forma aquæ ſupernatante.

Prompte obſecundat menſtruis Spirituoſis, omni phlegmate orbatis, & ſpiculis ſalis lixivioſi armatis, ſumendo partes æquales Spiritus & Balſami.

Leniter alvum ciet: celeriter per urinam tranſit, odore ſe prodens.

Externe vulnera ſanat, ſuppurat, mediocriter deterget & incarnat in tumoribus, ulceribus & vulneribus recentibus, hæcque dicitur præſtantius efficere, quam quælibet Terebinthina. Diſcutit œdemata, membra debilia roborat, dolores a frigore tollit.

Cadavera a putredine præſervat, antiſepticum triplici ratione. 1. Quatenus bitumini ſimile. 2. Quatenus acidulum. 3. Quatenus aromaticum.

Uſu interno laudatur in omnibus affectibus frigidis capitis, vertigine, paralyſi, ventriculi dolore, fluore albo, gonorrhœa virulenta; tuſſi ex frigido humore prodeſt.

Recens utile in ulceribus pulmonum, renum ac veſicæ; aſthmaticis ſubvenit, & in ſtomachi frigiditate, cruditate, atque in omnium flatuum moleſtiis prodeſt,

N. *BALSAMUM PERUVIANUM.*

Odoris eſt ſuaviſſime fragrantis, fere inſtar Styracis, ſaporis acris, calidi, aromatici, aliquantulum amari, majore fervore partes & humores afficere ſolens, quam Balſamum Copaiva. Violaceum odorem conciliat Urinæ.

Concretum eſt anomalum, hoc ſingulare habens, quod non molleſcat, ſed dureſcat calore intenſo, & nec aquis nec Oleis expreſſis miſceatur. Cum Spiritu Vini calido optime miſcetur, verum ſi refrigeretur, iterum ſupernatat, ſed obſecundat huic menſtruo omni phlegmate orbato, & ſpiculis ſalis lixivioſi armato, ſumptis partibus æqualibus ſpiritus & balſami.

Oleis deſtillatis non vero expreſſis unitur, nec pinguedini animali fluidæ, quatenus ab omnibus ſuccis reſinoſis notis differt. Porro, ubi triturando commixtum fuerit pinguedini ſolidæ, aut Ceræ, ſecedit & ad fundum ſubſidet quamprimum mixtura calore liquefiat.

Diſſol-

Diſſolvitur quidem in ſaccharo diſſoluto, cui proinde commode admiſcetur pro uſu interno, vel in ovo leniter cocto ſolvi in ſpirituoſis & aſſumi poteſt.

Partibus oleoſis ac reſinoſis acidulum Sal eſſentiale, ſed longe minori quantitate, quam in Terebinthinis, implicitum hærere videtur.

In plagis & vulneribus recentibus utile eſt, ea prompte conſolidans ſine ulla ſuppuratione, ſi iis quotidie bis tepidum & nonnihil liquefactum inſtilletur, & præſertim in partium nervoſarum læſionibus, quæ periculoſæ ſunt præ aliis, propter ſymptomatum catervam: antiqua etiam vulnera mundificat, & ad cicatricem perducit, quinimo in ulceribus ſordidis mundificandis ac conſolidandis, ratione amaroris, optimum eſt detergendo purulentiam & ſordes.

Externe quoque tumores œdematoſos diſcutit, abſumit, & partes, atonia vel paralyſi correptas, roborat. Lenit dolores, ab humoribus frigidis ortos. In doloribus partium muſculoſarum catarrhalibus dictis fiat Linimentum è Balſami Peruviani ℥j, vitello ovi unius ſoluti, cui adde Aquæ baccarum Juniperi ℥iij, & hoc calido fricentur partes affectæ. In nervorum puncturis acrimoniam ſaniei, unde tot dolores & convulſiones, retundit.

Urinam ciet & expellit illitum.

Uſu interno datur cum ſucceſſu in ventriculi debilitate & flatibus inteſtinorum: nonnulli eo utuntur in dyſenteria maximo cum ſucceſſu; utile in paralyſi; & in aſthmate ad aliquot guttas ſumptum. Menſes movet.

N. *BALSAMUM TOLUTANUM.*

Admodum glutinoſum eſt, odor ejus gratior, quam cujusvis aliûs Balſami, grati nempe, aromatici, & limonum fragrantiam quodammodo referentis; ſaporis quoque grati, aromatici, nec admodum calidi, amaricantis; nec nauſeam movet quemadmodum alia Balſama, multo mitius quam Balſamum Peruvianum, acrimoniæ tamen non prorſus expers.

Decoctum ejus aquoſum acidum eſt, & inter coquendum in conficiendo Syrupo balſamico colliguntur flores ſimiles Benzoini floribus.

Solvitur integre in Spiritu Vini rectificato, proinde Tinctura vires Balſami integras poſſidet, quæ quando aquæ miſcetur, lactea quidem fit, ſed non præcipitatur in 24 horis, ut ſolutio Gummi Guaiaci in Spiritu Vini. In Syrupo balſamico maxima pars indiſſoluta manet.

Gratam emulſionem exhibet cum Vitello ovi & ſaccharo.

Omnia recentia vulnera conſolidat; glutinatque labra, nec materiam purulentam in iis exoriri ſinit, aut ullum cicatricis veſtigium curatis vulneribus relinquit, ſi eorum labra probe juncta fuerint: primum autem emundandum eſt vul-

vulnus ab omni ſpurcitie, & vino eluendum, deinde ejus labra probe unienda, balſamumque ſubtepidum illiniendum, & lineus pannus duplicatus, eodem balſamo intinctus, ſuperimponendus, itaque colligandus, ut labra hiare nequeant; poſtmodum victus ratio ſit tenuis, ſeceturque vena, ſi neceſſe ſit; quarto demum die ſolvatur ligatura (niſi ſymptoma aliquod prius ſolvere cogat) & vulnus conſolidatum invenietur.

Extrinſecus dolores diuturnos a cauſa frigida tollit, emplaſtri modo applicatum, delatumque donec ſponte decidat. Oedemata, Parotides & Scrophulas cœcas curat, ad quos uſus ſolvi poteſt in Spiritu Vini, in fotu adhiberi; & in Ventriculi imbecillitate ac dolore & inflatione cum Oleo nardino inungi.

Interne Catarrhos & Tuſſes veteres curat, pectus expurgat, & Gonorrhœas veteres: in aſthmate & phthiſi valet.

C. *BARDANA. Burdock.*

1. *Bardana major lanuginoſis capitulis. Park.* Lappa major montana lanuginoſis capitulis, ſive Arctium *Dioſcoridis* C. B. Et Arctium primum *Galeni.*

2. *Lappa major*, Arcium *Dioſcoridis* C. B. Bardana vulg. major *Park. Great. Burdock. Clot burr.* Arctium aliud, Lappa major, Bardana *Galeni.*

Prima, ſive Arctium *Dioſcoridis*, eſt longe tenuiorum partium quam ſecunda, ſc. tenuis, ſiccantis & moderate extergentis facultatis, præcipue radix cum ſemine.

Radix dulcis, decocta cum ſemine, in vino dentium dolores mulcet, ſi quidem ore decoctum contineatur. Bibitur contra coxendicum dolores & ſtranguriam radix in vino.

Ambuſta & perniones non modo decoctum radicis cum ſemine perfuſum, ſed & caules teneriores, ſanare poſſunt.

NOTÆ. Radicis odor graviuſculus vix deſcribendus, ſapor ſubdulcis, acrimoniæ non prorſus expers, præcipue in cortice radicis, cum mucilagine levi, ſubadſtringens, & decoctum ejus, addito tantillo Vitrioli Martis, viride fiebat.

Aliquantulum magis quam Folia rubefacit chartam cæruleam. Succus recens, vel coctus manus decolorat, & color inductus deſtruitur ab acidis, non vero ab alcalinis, nec a ſapone, argumento majoris affinitatis ad Alcali.

Locum habet inter eſculenta, caulibus teneris coctis & comeſtis, ut cinara; &, ſic aſſumpta, dicitur easdem vires habere, quas Scorzonera & Tragopogon.

Vis ei tribuitur reſolvens, abſtergens, leniter diuretica, & diaphoretica, lubricans & involvens.

Cum Saccharo confecta ſabulum expellit, hinc laudatur in arthritide, fomitem ejus per urinam expellendo: laudatur & in lue venerea, & radici ſarſaparillæ ſubſtitui poteſt, qua majorem in humoribus depurandis effectum edere dicitur.

Quatenus diaphoretica convenit ad febres ardentes, malignas, & inflammatorias, & a quibusdam præfertur Scorzoneræ radici in ptiſana, præcipue ad pleuritidem & phthiſin, in ſputo ſanguinis & aſthmate, ubi vi bechica agit, & in arthriticis morbis peculiari proprietate conferre dicitur. Convenit & in Calculo.

Levat fœminas hyſtericas, menſium fluxum & evacuationes ex utero expediens, quare ſæpe, & cum optato effectu, datur puerperis.

In Lue venerea in ægris texturæ emaciatæ *S. Pauli* dat decoctum ſequens, quod longe præfert paratis ex lignis exoticis: ℞. ℥viij. coque in Vini albi & Aquæ ℔ij.

Semen eſt oleoſum, odoris fere ut ſevi vel candelæ, ſaporis ſubamaricantis, ſubacris, ingrati, aromatici, mediocriter calidi, emulſum dat peſſimi ſaporis.

Diureticum eſt omnium conſenſu, & celebratur inter lithontriptica, datum ad ʒj. Exhibetur quoque in dolore iſchiadico.

Ad vitia pectoris, ubi non adeſt inflammatio, & ad ſaburras renum, ubi adeſt aliquid materiæ calculoſæ, infuſio fit ex ℥j ad ℥xx Aquæ.

D. *BASILICUM.* Ocimum vulgatius C. B. *Baſil.*

Planta hæc veteribus incognita: genera plura ſunt recentioribus: aliqua caryophyllos, alia citrum redolent. Utriusque meminit *Serapio.* Forte *Aëtio* eſt Ocimum baſilicum, ſive Ocimum regale.

Notandum, Ocymum ab Ocimo maxime differre, ſiquidem apud antiquos Ocymum erat pabuli genus, ita dictum, vel quod cito proveniret, vel primum inter cætera pabuli genera e terra erumperet, vel quod jumentis citaret alvum, ſic appellatum a Græca voce ωκυς, quæ Latinis valet cito.

Ocimi quidem meminit *Dioſcorides*, ſed nullam addit deſcriptionem; inſuper quæ de ſuo Ocimo profert vix Baſilico noſtro conveniunt, quod veteribus incognitum, ſed Arabibus ſaltem *Serapioni*, cognitum fuiſſe videtur: dupliciſ enim ſpeciei meminit, unius, quæ caryophyllos, alterius, quæ citrum redoſet; & apud *Meſuen* proſtat Electarium è Moſcho, ocimo citrato, cæterisque, ad frigidos cerebri affectus & melancholiam utile.

Odor hujus fragrans eſt, ſuaviſſimus; ſaporis acris, mediocriter calidi, aromatici, amaricantis.

Laudatur tanquam princeps poſt Meliſſam ad Melancholiam remedium, fragrans

grans & vivificans ſine vi calefaciente, & in lipothymia, vertigine, epilepſia, aliisque affectibus capitis, qui a Spaſmis proveniunt; necnon in aſthmate a viſcoſis humoribus: & Urinam ciere dicitur ac menſes in Vino infuſum.

D. *BDELLIUM.*

In hujus qualitatibus confuſi ſunt Authores ob diverſas ejus ſpecies.

Optimum Bdellium odorem habet Myrrhæ ſimilem, ſed minus gratum: ſuffitum boni eſt odoris. Saporis eſt amariuſculi & ſubacris in ore & gutture. Tenax eſt inſtar glutinis, ſolvitur tarde in ore: flammam concipit eamque fovet, ſed cum ſtrepitu; eſt enim Gummi balſamicum, ſeu Gummi-Reſina, cujus dimidiam partem Aqua & Spiritus rectificatus ſolvunt. Odor vero Tincturæ ſpirituoſæ gratior eſt & fortior quam aqueæ.

Adhibetur in Emplaſtris emollientibus, maturantibus & diſcutientibus. Cum repletum ſit particulis ſulphureis & ſalinis, reſolvendi, liquandi, alvumque paululum & urinam movendi, poteſtatem habet.

Ad Topl.os & tumores glandularum diſſipandos non ſine fructu applicatur. Expectorationem promovet, & convenit in tuſſi, anhelatione & ulcerationibus pulmonum, renum ac veſicæ.

N. *BECCABUNGA.* Anagallis aquatica folio ſubrotundo minor C. B. *Brooklime.*

Folia & Flores ſaporis ſunt ſubacris, ſubadſtringentis. Decoctum, addito Vitriolo Martis, virideſcit. Succus coloris fuſci fit, addito Vitriolo viridi. Servat fluiditatem cum Acidis: cum ſpiritu ſulphuris & oleo Vitrioli rubeſcit, ſed cum Alcalicis ſpiſſeſcit. Chartam cæruleam ſatis rubefacit. Ab his experimentis patet vis ejus, acidis congrua, alcalicis contraria.

Succus ejus ſaponaceus eſt, aperiens, &, majori copia ſumptus, alvum movet commodiſſime.

Apud veterinarios magni eſt uſus ad diſcutiendos tumores & ſanandam equorum ſcabiem.

Maculas faciei abſtergit, & Balneum inde vaporoſum uſurpatur ad tollendas maculas cutis ſcorbuticorum.

Singulare eſt antiſcorbuticum, in ulceribus ſcorbuticis & eryſipelate egregie conveniens. Naſturtio aliisque herbis addita ad earum temperandam acrimoniam inſervit: quinimo Succus, cum Vitello Ovi miſtus, pro ulceribus ſcorbuticis repurgandis ſæpe fuit efficaciſſimus; & *Fabricius* magnum ulcus tibiæ in ſcorbutico curavit Beccabunga, cereviſiæ incocta & appoſita.

N. *BELLIS SYLVESTRIS* caule folioſo major C. B. *The great Daiſy or Ox-eye.*

Folia cum caule ſaporis dulcis ſunt inſtar Glycyrrhizæ, ſubacris, imo evidenter acris diutius maſticanti, & ſubamaricantis. Eduntur ab Hibernis ad famem ſedandam. Odor dulcis, fragrans ut Erigeri, qualem odorem quoque habet aqua deſtillata.

Non niſi leviſſime rubefacit. Chartam cæruleam.

Herba integra, cum Zythogalo decocta, & pota, adverſus aſthma, phthiſin & orthopnœam ſingulare remedium habetur.

N. *BELLIS SYLV. MINOR.* C. B. *Common wild Daiſy.*

Folia, Flores & Caules recentes acrimoniam poſſident viſcoſo inhærentem, ſaporis nempe ſubſalſi acris in gutture per ſesquihoram, etſi longe minus acris quam radicis.

Folia aliis deſcribuntur acida, & ſubadſtringentia (non tamen rubefaciunt Chartam cæruleam) & præſertim menſe Februario, antequam flores erumpant, habetur decoctum acris ſaporis piperis modo ſubtilis & penetrantis. Uſurpatur quoque Succus pro Errhino.

Decoctum egregium eſt Vulneribus applicatum, quæ tuetur ab inflammatione & ſuppuratione, quippe inter vulnerarias & antiphlogiſticas herbas primaria cenſetur, unde *Conſolida pratenſis minor* in officinis vocatur.

Oculis inflammatis cum fluxu ſubvenit.

Porro, contuſa folia applicata locis ab ictu contuſis & tumentibus tollunt tumores, unde olim *Bruiſe wort* dicta eſt.

In Acetariis uſurpata herba, tempore verno, utilitatem non contemnendam præſtat, reſerando viſcerum obſtructiones.

Herbâ cum floribus mulierculæ ad alvum laxandam utuntur.

Contra pectoris vitia valet, ad ſpirandi difficultatem & tuſſim, aptiſſima habetur in peripneumonia, pleuritide & aliis inflammationibus, viſcoſum in ſanguine diſſolvens.

Radices fortiores ſunt, quam folia, ſaporis quaſi acidi, & in gutture acris fere ut acetum, amaricantis, & evidentius adſtringentis quam folia, earum tamen infuſum non mutatur a Vitriolo viridi, nec Succus ab acidis, aut alcalinis. Acrimonia radicis non perit ſiccando.

Radix porro dicitur veſicans eſſe ſine calore & exterius uſurpari ad ſcrophulas & ſtrumas optimo cum ſucceſſu.

Succus dicitur Perlas deſtruere.

N. *BEN-*

N. *BENSOINUM.* Asa dulcis. *Benjamin.*

Hujus nec Græcorum nec Arabum quempiam meminisse author est *Garcias.* Improprie Gummi dicitur, cum Resina sit, seu Balsamum inspissatum, omnia aquea ad solvendum respuens, & tantum spirituosa menstrua desiderans.

Optimum odoris est gratissimi fragrantis inter digitos confrictum, vel, ut alii, qualis Balsami Tolutani, sed fortior, & quando uritur Xyloaloen odore referre dicitur, saporis resinosi, pinguis, subacris.

Constat parte resinosa, oleosa & salina; est enim inflammabile, & in Spiritu Vini rectificatissimo solubile, quæ solutio saporis subacris est, subdulcis, balsamici, & aquæ calidæ etiam suas vires odoratas largitur cum acrimonia levi, tum in decocto suo inspissato flores suos in fundo exhibet splendentes ad $\frac{1}{16}$ vel $\frac{1}{8}$ ponderis sui, qui Flores saporis sunt penetrantis, aciduli, semper aliquantum inflammabiles, adeoque oleosi, & forte Sali succini præferendi. Confer Analysin *Balsami Tolutani.*

Primarius ejus usus est in Suffitibus ad attenuandum, resolvendum & roborandum: hinc fumi ejus accensi, panno laneo recepti, Hydrocelen infantum, in membrana cellulari hærentem, intra paucos dies tollunt.

Datur quoque a ℈j ad ʒss atque in tussi senili & catarrhis quibusdam prodesse potest.

Tincturæ ejus in Spiritu Vini rectificatissimo affunde Aquam Rosarum. Inde liquor emergit lacteus, egregium spirans odorem, estque elegans & efficax cosmeticum contra maculas faciei: quin & manus purificat; maculas detergit, cutemque nitidam & glabram reddit, si manus mane & vesperi eadem laventur, & per se exsiccentur, mane vero aqua communi abluantur. Vid. *Berberis.*

BERBERIS dumetorum C. B. *Barberry bush.*

Arabibus nota, sed non Veteribus, nam quam Officinæ cum *Averroë* vocant *Berberim*, illam *Serapio* & *Avicenna* appellant *Ambiberberim*, aut *Amirbarim*; sed an sit *Oxycantha* vel *Oxycanthus Dioscoridis* aut *Galeni* non liquet: interim de *Amirbari* suo hæc habet *Avicenna*, quæ præcipue de *fructu* ejus prædicanda videntur, „ Frigidus est & siccus in fine tertii. Vincit Choleram valde. „ Confert Apostematibus calidis, sicut Emplastrum superpositus. Constringit, „ confortat Stomachum & hepar, abscinditque sitim valde.

Et hæc *Averroë*: „ Berberis fructus stypticæ virtutis est, incidit, subtiliat, „ & stringit omnem fluxum.

NOTÆ. Fructûs Succus gustus est acidi & subausteri, grati, longe magis

acidi & austeri, quam Succus Mali Punicæ. Rubefacit chartam cæruleam colore æque vivido, ac Alumen.

Decoctum ejus coagulavit Albumen Ovi.

Sal essentiale præbet simile Tartaro, & valde refrigerans: hinc Extractum ejus, quod valde acidum est, & austerum, masticanti sentitur quasi sabulum, vel quasi saccharum candidum inter dentes.

Usurpatur Succus in gargarismis adversus anginam, & gingivas male affectas in Scorbuto.

Ibs dedit Extracti ʒiv ℈ij.

Iis, qui in calidis morbis vomitionibus continuis infestantur, bilemque evomunt, convenit, & in alvi fluxibus, privatim biliosis, in febre pestilentiali putredini resistens, & in hæmorrhagiis utilis.

Vir quidam, pinguedine fere obrutus, macilentus fiebat bibendo succum in aqua.

Cortex medianus cum lixivio flavo colore tingit; & Vinum, cui infusum fuit per tres horas, dicitur purgare, quin & in Ictero valere.

C. 1. *BETA ALBA*, quæ Cicla offic. C. B. *White Beet.*

2. *RUBRA* vulg. C. B. *Red Beet.*

3. *BETA NIGRA* Offic. *Dodon.* & *Dale.*

Olus modice calidum habetur, quod inter moderatissime nutrientia & alvum modice dejicientia post febrem datur, atque in cubiti fractura cum malva, & cucurbita: quin & inter attenuantia alimenta locum habet; & iis in victu præscribitur, qui semel tantum die cibum assumunt, quibus os salsum efficitur & amaricat. Dolores dentium sedat succus illitus: Albæ succus epiphoras sedat, fronti illita.

Nitrosæ tamen facultatis particeps est, qua tum digerit, tum extergit, præcipue alba, quæ validior, nam nigra adjunctum habet adstrictionis quippiam, & magis in radice quam in aliis partibus; & quidem Beta ut Brassica, duas contrarias facultates obtinet, namque succus expressus vel decoctum purgat, sed, quod reliquum est adstringit, hinc, validius cocta, fluxiones stomachi sistit & ventris.

Decoctum radicum ac foliorum furfures lendesque detergit: Succo solares maculæ tolluntur & porriginosum caput, frequenter in balneo lotum, ab omni tabe purgatur.

Succus capitis dolores veteres & vertigines, item sonitum aurium, iis infusus, sedat. Cum melle, naribus inditus, purgat caput, & aurium doloribus opitulatur.

latur. Crudis foliis vitiligines illini oportet, nitro antea perfrictas, item alopecias prius derasas.

Alvum laxat, stomachum interdum mordicat, præsertim quibus natura exquisitiore sensu est prædita. Obstructum hepar magis, quam Malva, aperit, & multo magis, si cum sinapi, aut omnino saltem cum aceto mandatur. Lienosis item eodem modo utile est medicamentum. Urinam ciet. Medetur dysentericis injecta & morbo regio.

Celsus potui dat ictericis Betam albam contritam.

Succus, decoctumque ad vertigines & palpitationes intestinorum injecta valent, stercus enim dissolvunt, ac continuis morsicationibus occurrunt.

Cocta nitrositatem omnem ac acrimoniam exuit, sitque facultatis phlegmonis adversæ, leviter digerentis; illinitur depascentibus ulceribus & papularum eruptionibus, ambustis & erysipelatis medetur.

Radix plus habet virium quam folia, nam radix tumores multos inflammatos discutit, quod folia nequeunt, cocta namque radix vim habet arcendi inflammationes, leniterque discutiendi.

NOTÆ. *Betæ albæ & rubræ* Succus, recens expressus, primatum fere ducit inter Errhina, & satis est acris, pituitam e sinu frontali ducens, hinc Beta non adeo fatua est, ac putavit *Martialis*.

Folia ingrediuntur Clysteres emollientes & abstergentes.

Utraque porro viscosa est, Perniones fotu mitigat, humores cholericos attemperat, difficilis concoctionis, flatus excitans succo suo spisso. Externe emollit.

In superficie habet substantiam quandam nitrosam, qua, per coctionem deposita, digerit quidem etiamnum, sed non tam fortiter quam antea, ut in Brassica.

Nitrositas in utraque alvum solvere nata est; hæc in candida major, & in prima aqua evidentior, unde magis abstergit candida.

Folia ordinarie Ulceribus herpeticis & Ulcerationibus, præcipue à Vesicantibus relictis, imponuntur.

Albæ Foliorum, præsertim recentium, Sapor subdulcis est, subacris, acrimoniæ sensu in faucibus hærente per sesquihoram vel ultra. Succus mucilaginosus, subamarus, subadstringens.

Albæ Radix, præsertim recens, dulcis est cum sensu acrimoniæ, satis diu hærente in gutture. Hanc quidam usurpant ad furfures lentiginesque delendas.

Rubræ Folia, ut nos Brassicæ, capiti admovebat *Hollerius*, ad renovandum fluxum humorum.

Radix

Radix Odoris eſt graviuſculi, nonnunquam inſtar Paſtinacæ, ſaporis ſubdulcis, aliquando evidenter dulcis, & acris in gutture per aliquot horas.

In condimentis Aceti vim frangere notatur.

Succus ejus, Auri inſtillatus, commendatur in ſurditate, ut ſordes induratas ſolvens.

Saccharum bonum paratur è ſucco recentis, methodo eadem, qua paratur Saccharum ex Arundine ſaccharifera.

Beta infuſione inficit Spiritum Vini rectificatum æque ac Aquam colore ſaturate rubro, & Tincturæ, loco frigido per ſeptimanas aliquot repoſitæ, concretiones exhibent dulcedinis ſaccharinæ; Beta alba fere $\frac{1}{11}$ partem ponderis ſui Salis ſaccharini dat, rubra $\frac{1}{12}$.

C. *BETONICA* purpurea C. B. Vettonica *Plinii*. *Wood Betony*.

Magnis equidem laudibus effertur hæc planta apud veteres, forte aliquando ultra fidem; attamen vires, huic tributæ, haud prorſus alienæ ab iis, quas qualitates ejus ſenſibiles polliceri videntur.

Eſt boni odoris, minimum calida, amariuscula; & ſubacris, proinde vim majorem habet inciſoriam, quam quæ magis calida, & ad calloſas ſeu tophaceas conſiſtentias incidendas magis idonea. An hoc nomine datur hepaticis & ſpleneticis drachmæ pondere in aceto mulſo; iſchiadicis, nephriticis, a veſica dolentibus ex aqua propinatur: in renibus calculos rumpere dicitur, & ad hunc ſcopum in vino immiſcetur ſenibus. In lateris & pectoris doloribus farina (i. e. herbæ aridæ tenuis pulviſculus) bibitur ex aqua calida. Empyicis & phthiſicis auxilio eſt cum melle.

Dyſpnœæ medetur Vettonicæ tuſæ libra ad Mellis Attici ſemunciam ex aqua calida quotidie bibentibus, adeoque pulmonem, pectus, jecur & renes expurgat abſtergitque.

An quoque vim obtinet adſtringentem? teſte enim *Dioſcoride* datur ſanguinem exſcreantibus obolis tribus in vini diluti egelidi cyatho uno, & juxta *Plinium* datur obolis tribus in aqua contra purulentas & cruentas exſcreationes, ac farina, è lacte caprino pota, ſiſtit ex ubere fluentem ſanguinem: ſuccus vomentibus ſanguinem & dyſentericis in vino, ferro calefacto, datur. Exhibetur quoque Vettonica cœliacis in vino auſtero, & apud *Nic. Myrepſum* ingreditur Antidotum contra dyſenteriam & affectionem cœliacam.

Concoctionem adjuvat, ſi quis fabæ magnitudine ipſam a cœna cum melle cocto devoraverit, & crapulam diſcutit. Simili modo & acidum eructantibus exhibetur. Cibum in ſtomacho non continentibus eam manducare, ſuccum devorare, deindeque vinum dilutum ſorbere, proderit. Cruditates, quæ nauſeam faciunt, digerit. Pota calorem corporis plumbeum emendat, gratioremque reducit.

Ad

Ad vulvæ vitia & ſtrangulationes drachmæ pondere ex aqua mulſa potui datur. In vino exhibita eadem quantitas menſes pellit. Partus accelerat ex aqua mulſa. Urinas ciet.

Drachmis quatuor bibita in aquæ mulſæ cyathis decem alvum purgat, authore *Antonio Muſa*.

Ad convulſa & rupta ex aqua mulſa datur.

Medetur comitialibus atque inſanis ex aqua pota.

Adverſus venena drachmæ pondere ex vino prodeſt, & ad omnes beſtiarum morſus pota & illita.

Datur hydropicis binis drachmis ex aqua mulſa, ſi quidem febricitent, ſin minus, ex mulſo. Regio quoque morbo laborantes recreat.

Carbunculos ſanat farina ex aqua. Valet ad carcinomata & melanias (nigritudinem corporis & nigras maculas) veteres cum ſale.

NOTÆ. De Foliis & Floribus agimus, Radicum enim vires longe diſpares ſunt, utpote ανω & κατω purgantes.

Odoris ſunt leniter aromatici, ſaporis aromatici, ſubacris, amariuſculi, cum adſtringente parum virtute juxta placita Veterum, ſupra enarrata, experimentis modernis confirmata. Decoctum enim ejus a fuſco colore acquiſivit magis fuſcum, addito Vitriolo viridi, & Infuſum ejus inde viridescebat.

Tincturæ ſpirituoſæ Odor eſt balſamicus ſpecificus herbæ, ſapor ſubacris & leniter balſamicus: Infuſi aquoſi Sapor balſamico-amaricans, Odor lenis, nec ingratus.

Folia non rubefaciunt chartam cæruleam: Flores vero parum, per infuſum nihil, hoc autem ſolutionem Heliotropii tantillum.

Plantæ huic recenti vim aliqualem anodynam, & quaſi inebriativam, tribuunt *Simon Pauli* & *Bartholinus*, qui recenſet, quod dum operarii hortulani hero ſuo evellere voluiſſent Betonicam pro uſu medico, omnes velut ebrii & temulenti titubarint.

Folia in turundas convoluta, naribus immiſſa, ibidemque per horam detenta, errhinum & apophlegmatismum dant optimum, copia incredibili humorum effluente cum inſigni levamine in Epiphora, ſeu ophthalmia ſeroſa.

Extus ad Vulnera & laxitatem toni corrigendam, dentes firmandos & catarrhos capitis laudatur, ut &, ob ejus vim ſopientem, ſuccus ad vulnera doloroſa applicatur, quem hortulani felici eventu omnibus Vulneribus inſtillant.

Uſu interno ad omnes morbos cephalicos datur, quippe quod exinde calor non adeo timendus ſit quam a Lavendulâ. Sic, qui laborant cerebri vitio a colluvie ſeroſa, optime juvantur, ſi infuſum ejus quotidie bibatur inſtar Theæ.

Si cum Saccharo in formam Conſervæ redigatur, roborat ventriculum & viſcera.

N. *BISTORTA* radice minus intorta. C. B. *Biſtort or Snake weed.*

Quænam ſit planta apud Antiquos non liquet, qui proinde non conſulendi de Viribus.

Caulis recens acidus eſt, & folia minus adſtringentia; Radix vero, de qua præcipue agitur, odoris nullius eſt, ſaporis valde adſtringentis, & amariuſculi, imo & aliquando ſubdulcis.

Materia adſtringens ſolvitur integre in Aqua & Spiritu Vini rectificato.

Succus valde auſterus eſt, & ſubamarus: fluiditatem retinet cum Acidis, coagulatur vero & albeſcit cum Alcalinis: porro Albumen Ovi, Lac & ſerum ſanguinis coagulat.

Decoctum & Infuſum in aqua ſtatim nigrum fit, addito Vitriolo viridi.

Valet in mictu cruento, menſibus lochiisve nimis fluentibus, dyſenteria, ſputo & vomitu ſanguinis, gonorrhœa, alvi fluxu & Urinæ incontinentia.

Porro in peſte, febribus malignis, & dyſenteriis epidemicis admiſcetur alexipharmacis, aliisque medicamentis, ſed quare? quia, reſpondente *Simone Pauli*, frigefaciendo & ſiccando orgasmum ſanguinis lethalem imminentem corruptionem cohibeat.

Decoctum forma collutorii ad laxas & ulceroſas gingivas dentesque vacillantes firmandos valet.

Abortum præcavere dicitur pulveris ʒſs cum pari portione ſuccini, ex ovo ſorbili diebus aliquot continuis, aſſumpta.

Siccando in phagedænicis præſtat, & in polypo narium non minus quam Sabina & alia, ſive injiciatur ejus decoctum ſive inſpergatur pulvis.

C. *BITUMEN.* Asphaltum.

Judaicum cæteris præfertur.

Odoris eſt gravis. Bitumen omne, auctore *Dioſcoride*, vim habet inflammationes arcendi: corpori tamen noſtro admotum, teſte *Galeno*, manifeſte calefacit & ſiccat, ſed cum calore non admodum vehementi, quippe Oleum minus humectat, & minus refrigerat, quam Aqua. Vim quoque habet glutinandi, diſcutiendi atque molliendi, Vis ejus quæ Sulphuris.

Hæ vires generales patebunt ex enumeratione effectuum. Ad ſcabiem enim jumentorum utuntur Asphalto incolæ Agragantini agri in Sicilia, ubi gignitur, fonti ſupernatans. Teſtatur *Galenus*, ſe ſæpe eos, qui ex frigore dolore interno torquebantur, ubi frigus maximum, liberaſſe ruta, bitumine, oleoque ingeſto. Dentium dolores circumlitum vel ſuffitum mitigat. Illinitur podagris.

San-

Sanguinem sistit, vulnera colligat, nervos præcisos glutinat: usurpatur ad glutinationes vulnerum cruentorum & ad alia omnia, quæ exsiccari debent cum modica calfactione. In tenesmi dolore ipsius utimur suffitu, similiter & ad dysentericorum intestina ulcerata, quibus cum ptissana liquatum infunditur.

Porro & dysentericis cum vino potum prodest, alvumque sistit. Cœliacis catapotii instar deglutiendum exhibetur, & optimum fit emplasticum medicamentum ex bitumine & aceto in sanguine de pectore erumpente.

Quod siccum est, specillo impositum calfactumque, pilos incommodos replicat.

Tussi veteri, anhelationi, spirandique difficultati auxilio est.

Nucis Ponticæ aut fabæ magnitudine cum vino tritum cardiacis, qui animo linquuntur, magnopere è vestigio prodest. Cum vino & castoreo potum menses elicit. Appositum vel suffitum ad vulvæ strangulationes & procidentias efficax, & ad partum accelerandum, carbonibus injectum: *Hippocrates* præcipit ad obolos tres in uteri strangulatione sumendum.

Serpentum morsibus medetur, & auctore *Aëtio*, experimento constat vis ejus (sc. optimi, qui in mari mortuo provenit) poti ex aqua, in iis qui a rabioso cane morsi sunt: eos enim ab aquæ metu præcavet & jam hydrophobos conservat.

NOTÆ. Odor fere ut Olei succini, vel ut Picis, fortis & ingratus, præcipue inter urendum: sapor amarus: in Spiritu Vini rectificatissimo solubile est.

Constat ex oleo minerali, spiritu acido & multa terra.

Si flammis exuratur vivis, fuligines dat fumosque atros acidos, in fundo autem relinquit post integram fumorum consumptionem, aliquid terræ.

Procidentias sedis suffitu reprimit, putredinem arcet (*h*).

C. *BOLUS* Armena. *Bole Armoniac.* Bolus lutea purissima ponderosa, quæ Bolus Armena vera *Galeni.* Bolus Armena lutea Authorum. *Hill. History of Fossils.*

Galeni tempore primum in lucem venire cœpit pallida: tandem hæc perdita est, & ejus loco altera, non vera, sed Rubrica Lemnia substituebatur, nec *Avicenna* aliam quam hanc falsam cognovit. Vera nunc venditur apud Seplasiarios nomine *Boli Blesensis*, *the Bole of Blois.*

Ad

(*h*) Oleum exinde paratum in ulceribus pulmonum a Celeberrimo *Hoskens de Courcelles* laudatur, & experientia probatur. In est. *Harlem.*

Ad dyſenterias & alvi profluvia, tum ſanguinis expuitiones, catarrhos, & ad putreſcentia oris ulcera inprimis competit. Quin & eos magnifice juvat, qui catarrhis pectoralibus laborant, quamobrem illis, quibus ex tali occaſione difficilis eſt anhelitus, valde prodeſt; ſed & eos, qui phthoë vexantur, adjuvat; ulcus enim eorum deſiccat, ut haud etiam tuſſiant, niſi in victu peccetur non leviter, aut ambiens derepente ad intemperiem vergat.

In magna peſte, cujus eadem facies fuit ac ejus, quæ *Thucydidis* memoria graſſabatur, quotquot hoc medicamen bibére, celeriter curati ſunt; at quibus non profuit, omnes interierunt, cum nec alio quovis juvarentur, unde colligitur, quod iis duntaxat non fuerit auxilio, qui plane erant incurabiles. Cæterum bibitur ex vino albo, conſiſtentia tenui modice diluto, ſi aut plane febri aut leviter ea teneatur æger, ſin gravius febricitet, admodum aqueo.

NOTÆ. Bolus Bleſenſis Orientalibus bolis propius accedit, quam ulla terra Europæa. Vulgaris non ebullit cum Acidis, verum Bolus Bleſenſis vehementer effervefcit cum acidis, unctuoſa eſt, & ſaporis valde adſtringentis, linguæ firmiter adhæret, & dicitur analyſi exiguam quantitatem ſalis vitriolici præbere.

N. *BORAX.*

A Chryſocolla Veterum prorſus diverſa. Vide *Indicem Novorum.*

Saporis eſt frigidi, (& aquam frigefacit; ut Nitrum) amaricantis in initio, dein ſubdulcis, ſalini & aliquantum urinoſi. Solutio ejus clara perſtat, additis alcalinis. Syrupi Violarum tincturam purpuream ad viridem mutat. Sali Ammoniaco affrictus odorem emittit urinoſum. Hactenus notas Salis Alcalini exhibet, verum Acidi non prorſus expertem eſſe detexerunt Obſervationes recentiores; privatim *D. Pott* Acidum vitriolicum ei ineſſe probat experimentis plurimis, inter quæ eſt Mercurii in Aqua forti in pulverem flavum præcipitatio; & jam inter recentes convenit, Boracem conſtare ex Sale ſubacido, ſedativo dicto, baſi ſalis marini, h. e. Alcali foſſili.

Sanguinis rubedinem exaltat.

Externe adhibetur ad abſumendas carnes ſpongioſas ulcerum ſordidorum. Laudatur etiam ad ſcabiem, ad fucos muliebres; & ad Aphthas in infantibus abſumendas præfertur Alumini.

Interno uſu præſcribitur, apud quosdam doſi prælarga, quum vix ultra ℈j dari debet, quippe, præter dicta de operatione ejus catheretica, experientia compertum eſt, a doſi largiori vomitum & alia ſymptomata moleſta fuiſſe excitata.

Aliter uſurpatur ad excretiones promovendas, v. g. Menſium & urinæ

fluxum, & ad partum accelerandum, inprimis quando in hæmorrhagia nimia uteri pellendus abortus eſt.

C. *BORRAGO.* Bugloſſum Veterum. Bugloſſum latifolium. Borrago C. B. *Borrage.*

Quæ apud nos Borrago dicitur, apud *Dioſcoridem* & *Galenum* Bugloſſum eſſe videtur.

Juxta *Galenum* eſt humidæ calidæque temperiei, itaque vinis injectum Bugloſſum lætitiæ hilaritatisque cauſa creditum eſt: ſed & iis, qui ob ſupremi gutturis aſperitatem tuſſiunt, in melicrato convenit. Quidam decoctum ejus contra abſceſſus ferunt in vino utiliter bibi.

NOTÆ. Folia, Caulis, Flores & præcipue Radix mucilaginoſa ſunt, ſaporis ſubdulcis, ſalſedine quadam aliquando ſenſibili.

Allæ infuſa ſaporem quendam non ingratum exhibet. Cocta editur, ut Braſſica, & in juſculis ſumpta dat gratiam.

Aliquando inditur Cereviſiæ, ut præſervetur a præmatura aceſcentia: huic ſatis quadrat Experimentum ſequens: „ Succus colorem & fluiditatem ſervat „ cum alcalinis, ſed cum Spiritu Vitrioli & Oleo ſulphuris per campanam „ grumeſcit & præcipitatum exhibet ".

Folia nullatenus rubefaciunt chartam cæruleam, flores minus, radix plus.

Ventrem laxat.

Succus, authore *Boerhaavio*, eſt ſapo ſuboleoſus, nitroſus, pulcherrime reſolvens ſanguinem, a nimio calore denſatum; nec huic adverſatur Analyſis, a *D. Boulduc* inſtituta, unde detectæ ſunt in decocto, ad pelliculam evaporato, cryſtalli partim longæ nitroſæ, partim cubicæ Salis marini. Hinc vis alvum ſolvendi facile deducitur. Exſiccationem non fert.

Temperat acrimoniam ſanguinis & humorum, hinc in catarrhis, morbis faucium & pulmonum, privatim in angina, pleuritide, & peripneumonia laudatur, expectorationem promovens; necnon in ardore urinæ utilis.

C. *BOTRYS.* ambroſiodes C. B. Ambroſia. *Oak of Jeruſalem.*

Galenus hujus herbæ non meminit in ſimplicium medicamentorum cenſu. Convenit deſcriptioni *Dioſcoridis* & *Plinii.*

Suavem odorem ſpirat, quare veſtimentis interponitur. Pota ex vino orthopnœas mulcendi vim habet.

NOTÆ. Ambroſia dicta ab ejus Odore grato, reficiente, aromatico, bal-

ſamico, nares graveolentia quodammodo feriente, ſed tamen ſuavitatem retinente.

Seminum Odor, ut Balſami Tolutani; ſapor ſubacris, amariusculus. Subſtantia ejus viſcoſa eſt, unde comprehenſa, reſinæ modo, manibus adhæret.

Oleo communi incocta, & umbilico inuncta, flatus diſcutit.

Laudatur Spiritui Vini infuſa, ut cardiacum, & in affectionibus hypochondriacis: vim etiam habet ſtomachicam & uterinam, lochia menſesque promovens. Aquæ deſtillatæ tribuuntur vires eædem; maxime vero laudatur herba, cum melle in formam Electuarii ſubacta, ad Expectorationem promovendam, & purulenta exſcreantibus mirifice auxilians, in aſthmate & tuſſi humida conveniens.

C. *BRANCA* urſina. Acanthus ſativus vel mollis *Virgilii* C. B. *Brank urſine.*

Folia pinguia, tenuium partium, & vi mediocriter digerente & diſcutiente prædita.

Radices glutinoſæ: dicuntur tenuium eſſe partium, & vim poſſidere ſiccantem, leviter incidentem. Luxatis & ambuſtis, emplaſtri modo impoſitæ, medentur. Podagris quoque illiniuntur tritæ & calefactæ calidis. Phthiſin metuentibus incoctæ cibo, maxime ptiſanæ forma, proſunt.

Potæ Urinam cient, alvum ſiſtunt, ruptis convulſisque præterea utiles.

Sylveſtris Radix ad eadem, quæ ſativa, efficax.

NOTÆ. Foliorum & Caulium Odor gravis eſt, ſapor fere ſatuus, niſi forte ſubacris & aliquantum nauſeoſus: Succus glutinoſus, mucilaginoſus, demulcens, in clyſteribus & cataplasmatibus emollientibus adhibetur. Quibus quoque vis diſcutiendi tribuitur.

Folia in tenera ætate, & radix in cibo, uſurpari poſſunt cum reliquis oleribus. Curlandi juſculum parant ex foliis, quod poſt morbos chronicos & febres intermittentes appetitu languente cum utilitate adſumitur.

Radix quoque mucilaginoſa eſt, & in potu dicitur urinam ducere, alvumque ſiſtere. In hæmoptoë datur: tabidis & ex alto delapſis, vel ictu aliquo aut conatu ſupra vires læſis, ſimilis radici ſymphyti: quidam ſuccum apponunt ambuſtis.

C. *BRASSICA.* Crambe. Caulis. Raphanus *Theophraſti* & *Plinii. Cole & Cabbage.*

In centuria ſexta primum in Angliam invecta.

Dioſcorides enumerat ſativam, ſylveſtrem & marinam, ſed apud *Bauhinum* triginta ſpecies proſtant.

1. *BRAS-*

1. *BRASSICA* non capitata. Brassica alba vel viridis C. B. Brassica lævis *Theophrasti* & *Plinii*, cui & caulodis C. B. *Common Garden Colewort.*

2. *BRASSICA* capitata alba C. B. Hæc candida est, quæ Lacuturris *Plinii*; est & viridis, quæ Tritiana C. B.

Herba est apud veteres decantatissima, quamplurimis usibus inserviens in cibo & medicinâ.

Succus Brassicæ graveolens est: ejusque halitus aërem vicinum infestat. Aquæ incocta fœtet, humi effusa. Domestica acrimoniæ nonnihil & subamaritudinis adjunctum habet, sed utramque possidet agrestis validam. Cuicunque generi pruinæ plurimum suavitatis conciliant. Major est per æstatem Brassicæ acrimonia, stomachoque nocet; sylvestris amara est, & quæ in Ægypto nascitur ob amaritudinem non estur. Cyma stomacho melior, sed majorem acrimoniam habet, estque ad ciendam urinam validior.

Apud *Celsum* inter acria collocatur, & apud *Galenum* inter Olera attenuantia.

Succus purgat per se, naribus infusus, &, cum lolii farina appositus, menses trahit. *Hippocrates* hunc præcepit in mensibus occultatis, & in uteris, ut vocat, ad caput conversis; Brassicamque edendam vult ad uterum purgandum a partu, & in cibo dandam in lacte extincto.

Succum habet nitrosum, quo Alvus subducitur, ejusque decoctum ventrem provocat, & hinc subinde turbat dum concoquitur. Leviter fervefacta bonam facit Alvum: semel, non diu cocta, & cum oleo, sale, aut garo accepta, ventrem subducit.

Compositas equidem vires habet Brassica: Succus enim & decoctum, quin & ipsa Brassica, non diu cocta, vel leviter fervefacta, ventrem subducit; sed percocta alvum sistit, multo vero magis biscocta; hinc in torminibus, si decocta recoquatur, addito oleo, sale, cumino, polenta, sumta sine pane, prodest.

Deficcandi vim habet tum esa, tum foris imposita, non tamen etiam admodum acrem. Alioqui ulcera glutinat, eademque maligna sanat; præterea phlegmones, jam induratas ac ægre solubiles, & id genus quoque erysipelata. Eadem facultate epinyctidas & herpetes sanat: habet quiddam etiam in se absterforium, quo lepras curat.

Aquoso ejus decocto nervi articulique mire juvantur. Vulnera recentia vetera, tali decocto fota, etiam carcinomata, quæ nullis aliis medicamentis sanari possunt, foveantur prius aqua calida, ac, bis die trita, imponatur. Decoctum ad colluendos uteros ulceratos præcipit *Hippocrates*; sic etiam fistulas & luxata curari, humoresque evocari, quæque discutiendo sunt, discuti.

Præ-

Præterea urina ejus, qui brassicam esitaverit, asservata, & calefacta, nervis amica est; puerosque pusillos, hac urinâ lotos, nunquam debiles fieri fertur.

Sagillata & alios livores pura illita levat, & inflationibus stomachi prodest. Contusa, & cataplasmatis modo lieni imposita, illum extenuat. Crudæ folia, cum melle trita, ac imposita, omnes induratas inflammationes dissolvunt. Auribus, ex vino succus tepidus instillatus, Surditati prodest.

Antecedente in cibo brassicâ præcaveri ebrietatem, postea sumptâ crapulam discuti. In dolore capitis ex vino fervefactam edere oportet.

Cocta in cibo commoda est stomachicis: Cardiacis datur & comitialibus edenda, succusque bibendus: item splenicis in vino albo per dies quadraginta. Repentinas caligines levat, si mandatur ex aceto: Insomnia vigiliasque tollere decoctam, si jejuni edant quam plurimam ex oleo & aceto: & scio inquit *Plinius*, a podagra liberatos edendo eam, decoctæque jus bibendo.

Authore *Galeno*, elixa, ante alios cibos sumpta, phthisicos sanat, vitiisque arteriæ subvenit: teste *Dioscoride*, commanducata, sic ut per fauces delabatur succus, amissam restituit vocem. Confer vires *Betæ*.

NOTÆ. *Omnium Brassicarum* Foliis adest acrimonia latens, quæ in caule evidentior, & in radicum filamentis vix minor, quam Raphani rusticani: Majo & Septembri maxime acris, aliquando instar Nasturtii.

Extractum ejus fœtidulum est & valde dulce.

Succus coagulatur ab Acidis & ab Alcalinis affusis.

Post ejus usum copiosum fit Urinæ fluxus, ejusque fœtidæ; & Leporibus, domi pastis, carnem præbet maxime ingratam; quin & extra corpus facile putrescit; hoc tamen non obstante patuit ex Observationibus nuperis, hujus usum, ut & Allii, Sinapios & Raphani rusticani non accelerare, sed retardare & corrigere putrefactionem in corpore (*i*), quin & scorbuti species maxime putridas his, æque ac ab Acidis, curari. Testatur *Otto Heurnius*, Lugdunensis olim Batavorum Professor, quendam, scorbuto tam misere laborantem, ut maculis toto corpore diffusis, membrisque rigentibus, vix incedere posset, sanatum fuisse, potum quotidianum sumendo Brassicæ rubræ man. iv, zingiberis ℥ss & Cinamomi ʒij, in Vini rubri ℔ij maceratorum.

Proinde hæc virtus Antiscorbutica pendere videtur a principio acidis & alcalescentibus communi, de quo vide *M'cbride, Experimental Essays*.

Verrucas curare dicitur succus.

De-

(*i*) *Lind of the Scurvey.*

Decoctum & Succus Calculi fragmenta, iis immersa, partim mollia fecit partim solvebat.

A rusticis adhibetur Brassica pro Vulneribus & Ulceribus mundificandis & consolidandis, dum vel instillent succum, aut folia contusa applicent.

Porro, Folium vel Caulis recens expertum est ad Vesicas in fluxu conservandas remedium: maximam phlegmatis copiam extrahunt, æstum & dolorem mitigant, vesicasque diu apertas servant; sed notandum, impositionem Brassicæ singulis horis vel bihoriis repetendam esse.

Folia cocta ad suppurationem promovendam prosunt maxime.

In aqua recenti bis cocta prodest hæmoptoïcis, dysentericis & similibus.

Brassica mediocriter nutrit, succos crassos & flatus gignit, ac difficulter concoquitur. Lac comesta auget.

Lohoch de caulibus ad raucedinem corrigendam, & contenta pectore expectoranda, valet; & Jus (ut Rapæ) tussim egregie sedat.

Cum jusculo gallinaceo vetere decocta colicam & ventris tormina sedat, qua ratione & calculo renum commodat.

Succus egregius est ad mitigandos sales acres & deliniendam acrimoniam, detergens intestina & purgans renes. Omnes species conveniunt in morbis pectoris: si tota planta clibano pistoris committatur, in gelatinam resoluta, insignis est efficaciæ, ad tussim in siccitate, in senum exasperatis faucibus, conducitque sputo purulento obnoxiis.

Observatione digna est historia *Ottonis Tachenii*, qui, postquam noctes diesque impenderat operationibus chemicis, totus phthisicus evasit, pulmone penitus tabefacto, & Arcanis suis chemicis neutiquam restitui potuit: tandem Brassicam comedebat, ejusque succum cum succo Aurantiorum pro potu ingerebat, &, huic pertinaciter diuque insistens, penitus sanatus fuit.

1. *Brassica alba* maxime putrescibilis est.

Aquæ ejus destillatæ odor est fere instar Moschi. Minus habet salsedinis quam rubra; est quoque dulcior &, redolet aliquid instar Rapi. Residuum a destillatione est valde dulce.

Extracti plus præbet quam rubra, scil. ℥iij dedere Extracti ʒj ℈ij gr. iij: quum ℥iij rubræ dedere tantum ʒj gr. xij.

Porro, Extractum albæ dulcius est quam rubræ, minus effervescit cum alcalinis, minusque salis fixi præbet.

2. *Brassica rubra*. Odor Aquæ destillatæ fere ut albæ.

Rubra longe minus dulcis est, quam alba, sed magis acris, ejusque odor fere instar Rapi. Extractum minus fœtidum est quam albæ; cineres ejus acriores sunt & magis ebulliunt cum acidis, quam cineres albæ. Proinde rubra

magis medicamentosa est quam alba, quod ulterius patebit hinc: 1. Si ad finem autumni caules longitudinaliter incidantur, & loco frigidusculo reponantur, Succus laxans instar mellis vel mannæ exsudabit. 2. Tinctura rubræ, Spiritu Vini extracta, a calore saturata, reposita in frigore, deponit saccharum.

Porro, rubra albæ longe præferenda quoniam 1. Extus applicata non adeo fœtet. 2. In Stomacho flatulento convenire expertum est, ubi alba noxia.

Rubra quoque in tabe & hæmoptoë prodest, & ejus decoctum sacchari tantillo temperatum, est potus egregius, ad promovendum materiæ pulverulentæ per urinas effluxum. Superioris Cymæ decoctæ Succus bilem pituitamque ejiciet copiose, & minori periculo quam Helleborus vel Scammonium.

C. *BRYONIA* aspera, sive alba baccis rubris C. B. *White Briony.*

Genera duo *Dioscoridi;* Vitis Alba, quæ aliquibus Bryonia, & Nigra, aliis Bryonia nigra.

Radix Bryoniæ albæ amarorem sine adstrictione refert & acrimoniam, non tamen immodicam. Sine molestia meatus aurium expurgat, & asterit lapides in renibus, utpote tenuium partium sine mordacitate.

Corpus abstergit & cutem erugat, vitia cutis in facie, varosque, lentigines & cicatrices nigras emendat cum ervo, creta Chia & fænugræco. Eodem effectu prodest in oleo decocta usque dum liquescat. Sugillata tollit, & digitorum pterygia coërcet. Inflammationes discutit illita ex vino. Suppurationes rumpit. Septicis medicamentis apte immiscetur: infracta ossa extrahit trita & imposita.

Propter acrem vim chironiis, & in gangrænam, phagedænamque transeuntibus, & putrescentibus tibiarum Ulceribus, cum sale utiliter emplastri modo imponitur. Porro, & propter acrem & calfactoriam vim, Oleum, cui incocta est, ad acopa & malagmata facit.

In aqua cucumeris agrestis decocta, sæpius per se sola, nonnunquam caricis pinguibus adjectis, facit pro solutione tumoris, ne aliquid duri remaneat. Liones induratos liquat, tum ternis obolis epota ex aceto triginta diebus, tum foras cum ficubus imposita, & psoram & lepram sanat.

Vis ejus purgans cognita fuit veteribus; authore enim *Dioscoride,* succus, è radice vere expressus, trahit pituitam cum aqua mulsa potus, & authore *Oribasio* per infernas partes purgat.

Recentes hujus plantæ turiones vere instar Lupuli & Asparagi decocti & præparati alvum leniter laxant citra periculum & urinam cient: Veteresque solebant his vesci, docente *Columella.*

Ciet urinam pota. Fæminarum locis apposita partus secundasque morantes trahit:

trahit: ad muliebres quoque inſeſſus decoquitur, ſiquidem vulvas purgat ſed abortum facit. Datur comitialibus drachmæ pondere quotidie per totum annum. Prodeſt attonitis & vertigine laborantibus, ſimiliter aſſumpta. Contra viperarum ictus pota drachmis duabus auxiliatur: mentem interdum turbat aliquantulum.

Eclegma ex ea fit cum melle difficile ſpirantibus, tuſſientibus, ſtrangulatu oppreſſis, vulſis, ruptis & laterum doloribus utile.

NOTÆ. Bryoniæ albæ Radix Odoris ingrati eſt, Saporis acris, nauſeoſe amari cum ſenſu acredinis in gutture. Recentis Succus adeo acris eſt, ut cutim exulceret, ſed perit acrimonia in ſiccata & diu ſervata.

Rubefacit chartam cæruleam, & ſolutionem Heliotropii, quod non efficitur a foliis, aciditate in his obvoluta.

Externe in pedibus œdematoſis, & in Hydrocele ſerum purgat & tumores diſcutit. Celebratur quoque ad tumores ſcrophuloſos & cyſticos.

Dolores iſchiadicos, aliosque arthriticos, tollit recens contuſa, cum Oleo Lini ſubacta, & tepide applicata, tamdiu repetendo, donec materia morbifica reſoluta diſſipetur.

Ad lienis, jecoris & meſenterii obſtrnctiones nihil præſtantius pulvere vel infuſo Vinoſo.

Hydropicorum aquas per vomitum & ſeceſſum educit in ſubſtantia ad ʒj, ſucco a ʒij ad ℥ſs, & ſi ſiccetur vinoque infundatur, deinde rurſus ſiccetur, operatio ejus ſatis mitis fit.

Menſes ciet, & ab uteri ſtrangulatione vindicare dicitur.

Eſt & Anthelmintica, cum vermes enecet expellatque. In Aſthmate humido quoque profuit.

N. *BUGULA.* Conſolida media pratenſis cærulea C. B. *Bugle.*

Folia pinguia, odoris ſunt graviusculi, ſaporis grati, primo ſubdulcis, dein ſubamari, ſubadſtringentis: in infuſo amaror & adſtrictio magis evidens, & decoctum virideſcit, addito Vitriolo Martis. Chartam cæruleam parum rubefaciunt.

Eſt herba Vulneraria, unde *Conſolida media* dicitur: vis ejus hærere videtur in mucilagine viſcida temperata. Herba viridis apponitur & pulvis inſpergitur vulneribus locisque excoriatis.

Ulcera oris putrida & Aphthæ ſanantur hujus decocto colluta, & ſuccus inſtillatus ulcera pudendorum ſanat, atque intertriginem: præbet enim ſuccum inviſcantem, & vi adſtrictoria valet ad ſputum ſanguinis, dyſenteriam, fluxum hepaticum, & omnia ulcera tam externa quam interna, hinc ad Pthi-

ſin profuit, aſthmaticis levamen tulit, inflammationibus medetur, præſertim Anginæ.

D. *BULBOCASTANUM* majus folio Apii C. B. *Pignut.* Radix.

An ſit, *Bunium Dioſcoridis* non liquet. Forte eſt *Tralliani* radix bulboſa, caſtaneas æmulans, quam recentem coctam in lacte præſcribit phthificis & tabidis, ad hæmoptoën & mictum ſanguineum.

Eſtur cruda, ſapore nuci Caſtaneæ ſimilis: multum nutrit: Venerem ſtimulat.

Hac etiam ſues, hujus avidæ, pingueſcunt.

C. *BUTYRUM. Butter.*

Butyri nomen uſusque in cibo diu Græcis ignotus fuit, donec a vicinis barbaris, Thracibus, Pæonibus & Scythis didicerunt: *Galenus* etiam, in libris de Alimentorum facultatibus, nusquam alimentoſæ facultatis, quæ in butyro eſt, meminit, ſed bene medicamentoſæ. Apud *Dioſcoridem* ovillum & caprinum, tanquam præcipua enumerantur: *Galenus* addit bubulum. Romanis quoque tarde innotuit, unde *Plinius*, „ E lacte fit Butyrum barbararum „ gentium laudatiſſimus cibus ". *Lud. Nonnius*, de re cibaria.

Natura oleoſum eſt & emolliens. Emplaſticam vim habet, cum ſit moderate calidum, humidum & lentum, ac proinde puri movendo idoneum, ad ſuppuratoria medicamenta addi ſolet, utile præſertim, cum nervi aut cerebri membranæ aut veſicæ cervix vulnera acceperint: replet, purgat & carnem creat.

Præter facultatem concoquentem, paulum habet digerendi potentiam in corporibus mollibus.

Si partem aliquam corporis eo inunxeris ac fricueris, cernes cutim pinguem, non aliter, quam ſi oleo fricuiſſes: præterea, ſi mortui animalis corium aridum eo inunxeris, eundem cernes effectum. Famem & ſitim ſedat, conſervatque vires.

Probe concoctum ſanguinem gignit, in bilem abit, habitudinem nactum calidiorem. Vetuſtate quoque calidius & tenuioris eſſentiæ efficitur, induratos, ægreque ſolubiles, affectus potentius digerens.

Alvum ſolvit copioſe potum, & contra venena, ſi deſit oleum, in uſu eſt. Ab Aſpide percuſſis utiliſſime imponitur.

Parotides, Bubones & oris phlegmonæ prorſum butyro ſolo curati ſunt, nimirum puerilibus corporibus ac muliebribus perpetientibus: & lana, butyro imbuta, ac impoſita inchoantibus parotidibus opitulatur.

Butyrum quoque efficax eſt contra inflammationes ac duritias vulvæ, quod certe

certè neque putidum neque vetuſtum fuerit. Vulvas procidentes infuſum ſiſtit. Butyrum, adeps anſerina, & oleum roſaceum permixta pulcherrime proſunt ani vitiis. Ad dyſenterias & coli ulcerationem Clyſtere infunditur.

Ulcera emendat, purgat & explet, ſpeciatim ulceribus manantibus ſerpentibus prodeſt per ſe.

Cum melle ſi infricetur, dentitiones adjuvat, prodeſt & ante dentitionem gingivarum pruritibus. Prodeſt & Oris ulceribus, quas in eadem ætate aphthas vocant.

Scabiem hominis abolet: in jumentorum ſcabie proficit cum reſina calida. Quas Græci Pſydracia vocant, in ſumma cute puſtulis ſimiles, ſurgentes parvas excreſcentias arcet.

Ad tuſſes quanta eſt regiæ Nucis magnitudo devoretur. In ventrem devoratum & ex eo diſtributum, magnifice confert expuitionibus è pulmone, in pleuriticis & peripneumonicis affectibus, cum hoc inſuper habeat, quod eos etiam concoquat. Purulentas exſcreationes pectoris pulmonisque & a pulmone graveolentiam halitûs butyrum efficaciſſime juvat, cum pari modo mellis Attici decoctum donec rufeſcat, & matutinis ſumptum ad menſuram ligulæ.

Cum butyro cocta oryza ad ſtomachi ardorem, ſyncope comitatum, prodeſt.

NOTÆ. Eſt pars lactis pinguis & oleoſa cum tantillo Caſei, a quo derivatur conſiſtentia ejus emplaſtica. Detegitur pars caſeoſa liquando, partim in ſuperficie natans, partim ſubſidens in ſedimento albo, Oleo ſic ſeparato flavo; & ob hanc caſeoſam partem Butyrum facilius ranceſcit, quam Olea quædam a vegetabilibus preſſa.

Deſtillando reſolvitur in phlegma ſubacidum, oleum tenue & carbonem.

Butyrum in æſtate aceſcit, unde, taliter conſtitutum ſi edatur, fauces excoriat.

Si cum aqua pura butyrum lavetur, humidumque hoc a radiis ſolaribus aut igne evaporetur, ſal acutiſſimus & parum a cauſtico differens remanebit.

Saporis eſt grati & dulcis, hyeme albius & tardius putreſcit, æſtate flavius & magis dulce, quale eſt vaccarum, quæ nuper pepererunt.

Butyrum Incolis ſeptentrionalibus in deliciis eſt, contra meridionalibus nauſeabundum.

Solvit gluten & picem. Expertum eſt dulcius agere, quam Oleum Amygdalarum dulcium in iisdem caſibus.

Vetus acrimoniam acquirit.

Digerit parotides & oris phlegmonas. Lenit, laxat, anodynum eſt, dolores & inflammationes levans extus applicatum.

Utiliter affricatur gingivis inflatis infantum ad dentium eruptionem facilitandam.

In junioribus, in calidis & bilosis bilem auget.

Boli ex Butyro recenti, Saccharo mixti & vesperi sumpti, vehementissimas Tusses catarrhales, authore *Baglivio*, demulcent.

Recipe Butyrum salis expers, &, despumando a parte caseosa, separatum; Dentur Cochlearia duo bis vel ter de die. Dicitur in centum experimentis efficax fuisse in Dysenteriis pessimis curandis. Forte hæc ejus operatio illustrari potest experimento injiciendi tantillum pinguedinis vel Olei animalis in liquorem fermentantem, unde fermentatio statim sistitur: & si frustulum Butyri injiciatur magnæ quantitati Sacchari, vehementer ebullientis, sistitur statim ebullitio.

N. *BUXUS* arborescens C. B. *The Boxtree.*

Non meminit ejus *Dioscorides*, & raro *Galenus*, utpote vix ullius apud eos in medicina usus.

Lignum a ligno Guaiaci (cui simile esse autumarunt aliqui) prorsus differt, parum materiæ energeticæ continens, ejusque non resinosi, sed salini generis. Inodorum est & decoctum insipidum.

Foliorum Odor ingratus est, necnon sapor amarus, nauseosus, acris. Non nisi levissime rubefaciunt Chartam cæruleam. Dicuntur valide purgare dosi ℥j in sero lactis, vel ʒj in pulvere.

Lumbricos in equis curant. Dicuntur valere ad morbos pectoris, & specifice pleuritidem.

Folia, cum coliculis in lixivio decocta, capillos rufant, authore *Matthiolo*, & eos in Alopecia mirifice generare dicuntur.

C.

C. *CALAMINTHA. Calamint.*

Calamintha magno flore C. B. sive Calamintha montana *Lobelii* forte ex omnibus optime convenit cum Calamintha prima *Dioscoridis*; veruntamen Calamintha vulgaris Offic. Germanicæ C. B. *Common Calamint*, plane congener est, nec longe aberrat a descriptione Calaminthæ primæ *Dioscoridis*, & pro succedaneo admitti potest.

Notandum tamen, quum *Dioscorides* secundam suam speciem odore Pulegii Nepetam vocari a Latinis referat, hic cavendum esse, ne, ut a multis fit, confundatur cum Nepeta majore vulgari *Parkinsoni*, seu Mentha Cataria vulgari